UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Vrna aurea. 41

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

cælo Deipara præ omnibus puris creaturis maximam eſt aſſecuta: altera verò, quæ aureola nuncupatur, quam triplicem cumulatiſſimè Deipara eſt adepta Virginum nimirum aureolam, Doctorum & Martyrum, vel aliquid Martyrum aureola præſtantius propter gladium doloris, qui in Chriſti paſſione eius animã pertranſiuit, de quibus cap 6. vberiùs

Cap. 6. *Ioan. 6.*

In hac menſa repoſitus eſt panis viuus noſtris neceſſitatibus propoſitus: qui de cœlo deſcendit: ſuper panes verò ponebatur diuino iuſſu thus lucidiſſimum quod Chriſti diuinitatem in cuius honorem adoleri ſolet, ſignificabat. Ideo Deipara à Patribus Menſa panũ propoſitionis dicitur, quam Methodius in hypapantem vocat, *Alatre animatum panis vitæ*, id eſt, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Epiphanius ſermone de laud. Virg. eam dicit Fidei Menſã intellectualem, quæ panem vitæ nobis ſupeditauit. Georgius Nicomed. orat. de oblat. Virgin. Menſam, quæ portat vitam, in qua vitæ noſtræ panis propoſitus Ambroſia pauit eos, qui illius fuerunt participes Damaſcenus orat. 1. de dorm. Virg. illam vocat Menſam, ex qua ille panis vitæ, ac cœleſtis pullulauit, & orat. 2 de dorm animatam menſam appellat Quoniam verò contra noſtrorum hoſtium ſæuitiã tantum præſidii nobis eſt repoſitum in Chriſti corpore percipiendo, quod in ſacroſancta Euchariſtia continetur, & de hac menſa Deiparæ fuit deſumptum: idcirco meritò Dauid de ea Pſal. 22. pronunciat: *paraſti in conſpectu meo Menſam adverſus eos, qui tribulant me*: Neq; enim panis hic ſuperſubſtantialis Euchariſtiæ in Deipara tanquam in menſa fuit ſolùm aſſeruatus, verùm etiam ex eius ſubſtantia ſancti Spiritus opera fuit confectus. Cæterum quibus typis corpus Chriſti in ſanctiſſima Euchariſtia exhibitum ex Deipara in Incarnatione deſumptum fuiſſe ſignificetur capite 8. vberiùs oſtendemus.

Method. *Epiphan.* *Georg. Nic.* *Damaſc.* *Pſal. 22.* *Cap. 8.*

VRNA AVREA COELESTE *Manna continens.*

Virgo dicitur Vrna aurea. *Exod. 16.* *Epiphan.* *And. Cre.* *Baſil. Seleucia Ep.*

41 HÆc Exod. 16. eſt Vrna aurea in Arca fœderis aſſeruata ſuauiſſimum illud cœleſte Manna continens, ita illam appellant Epiphanius ſerm. de lau. Virgin. Andreas Cretenſis ſerm. de dormit. & ora. de Annuntiatione, *Salue*, inquit, *Vrna aurea, quæ eum fers, qui dulce Manna reddit ac mel à petra ingrato Iſraëli elicuit*. Et Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. de Annunt. Virgo non Manna, vt illa vrna aurea, ſed cœleſtem panem, qui fidelibus in cibum, & potum exhibetur, vtero cõplexa eſt. Ephrem ora. de laud. Virg. eam nominat vrnam pulcherrimã, quæ verum Manna geſtat, ſimiliter & Georg. Nicom. orat. de oblat. Virg. & Damaſc orat. 1 de dor. qui in orat. 2. eam dicit dulcem Mannæ vrnam.

Ephrem. *Georg. Nicomed.* *Damaſc.*

ARCA FOEDERIS, SEV ARCA *teſtimonii.*

Arca fœderis dicitur Deipara. *Exod. 25.* *Exod. 34.*

42 HÆc eſt Arca fœderis, ſeu Teſtimonii quæ Exodi 25. ſic dicta eſt, quod in ea tabulæ legis, per quam Deus Exod. 34. cum Iudæis fœdus percuſſerat, & in qua teſtatum erat, quid ab iiſdem fieri vellet, aſſeruarentur, iure autem optimo Deiparam hoc ſymbolo adumbratam docent plerique SS. Patrum, cùm mirificè in illam quadrent, quæ de fœderis Arca ſcribuntur; quod priùs, quàm à nobis demonſtretur, afferendi ſunt Patres, qui eam per Arcam ſignificatam volunt. Et quidem Eccleſia in quodam hymno de ea ſic canit: *Offic. Eccl.*

Beata mater munere,
Cuius ſupernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub ARCA *clauſus eſt.*

Methodius orat. in hypapantem vocat eã Arcam animatam noſtri legislatoris Dei. Athanaſius ſerm. de Deipara, eodem nomine eã appellat. Ambroſ. ſerm. 81. Deiparam Arcæ fœderis, in qua tabulæ teſtamenti erant comparat. Ephrem orat. de Deipara, Arcam veram eam nominat. Epiphanius ſerm. de Deipara: *Aue*, inquit, *gratia plena, gloria Arca ſpiritualis*. Chryſoſtomus in Liturgia Deiparam, ſic alloquitur: *Omnium Deus incarnatus in te ſacroſancta Arca, vt dixit iuſtus Dauid*. Andreas Cretenſis orat. 2. de dormit inuitat omnes ad Deiparæ venerationem: *Ecce enim*, inquit, *Dei gloria noua Arca, in qua eſt Vrna aurea, & virga Aaron, quæ germinauit, & tabula Teſtamenti*. & rurſum: *Tabernaculum legis exemplar accepit Arcam ſupermundanam, cuius figura erat Arca legalis*. Idem orat. de Annunc. ad Deiparam: *Salua ſis*, inquit, *noua gloria Arca, in qua Dei ſpiritus delapſus quieuit; Arca, in qua noua ſanctificatio gloria*. Heſychius Presbyter Ieroſolymitanus homil. 2. de Deipara afferens verba illa Pſalmi: *Surge in requiem tuam tu, & Arca ſanctificationis tuæ*. *Si tu*, inquit, & loquitur cũ Chriſto, *es gemma, & illa eſt Arca*. Georgius

Method. *Athanaſ.* *Ambroſ.* *Ephrem.* *Epiphan.* *Chryſoſt.* *And. Cre.* *Heſych.* *Pſal. 131.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN